

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Ad illvstrissimvm Maximillianvm dvcem mediolanensiem. Emblema
primvm

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

AD ILLUSTRISSIMUM
MAXIMILIANVM
 DVCEM MEDIOLANENSIEM:
 Super insigni Ducatus Mediolanensis.
 EMBLEMA PRIMVM.



EXILIENS infans sinuosè faucibus anguis,
 Est gentilijs nobile stemma tuis.
 Talia Pelleum gessisse nomismata regem
 Vidimus, hisq; suum concelebrasse genus:
 Dum se Ammonesatum, matrem anguis imagine lusam,
 Diuini & sobolem seminis esse docet:
 Ore exit. tradunt sic quosdam enititer angues.
 An quia sic Pallas de capite orta Iouis?

COMMENTARIUM

Proponit in signe Ducatus Mediolanensis, id est, gentilitium signum Principum Mediolanensium, cuius pictura notior est, quam vt pluribus explicetur

tur: In clypeo enim seu planitie aurea, conspicitur serpens coruleus, multis gyris contortus, qui puerum anniculum rubore tinctum, expansis brachijs, euomit. Mittit autem hoc Emblemata ad Illustrissimum Maximilianum Ducem Mediolanensem, Ludovici Filium, Francisci Sfortiae nepotem. Floruit hic Maximilianus anno Domini 1512. Decessit sine liberis. Sanctus est statur, se habere huiusmodi Mediolanense, quod ex altera parte hoc insigne habet expressum; ex altera effigiem D. Ambrosij, Episcopi Mediolanensis.

II.

Alciati
locus.

Huius quidem schematis rationem adferam, si prius huc transfulero, quod idem noster auctor ea de re scripsit c. 43. De singulari certamine, ut Alciatus ipse Alciarum enarrat hac in parte. Sic enim ille: Celebre est in Annalibus Orthonis Vicecomitis cum quodam Saraceno in Asia certamen, quem ille manu captum confossusque galeae ornamento priuauit, idque gentilitijs insignibus suis addidit, hoc est, viperam natum & adhuc manantem sanguine infantem ore euomens: nimirum ab Alexandro Magno acceptum emblemata. Siquidem in eius antiquis nomismatis idem sigillum reperire est, quo Ioue senatum rex ille per ambages ostendebat. Etenim serpentis forma pluribus Graeciae locis Iupiter colebatur. Suntque in Asia genera serpentum, quos ore parere hominibus opinione receptum est. Haec enim ille. Celebratur itaque stemma eiusmodi à diuina & antiqua origine, perenni nobilitate, è sano Sapientiae capite, promanante. Sed instituenti mihi commentaria integra, quo ad eius maxime fieri potest, occurrit praeter alia, quae de hoc stemmate Ducum Mediolanensium retulit Franciscus Petrarca, Rerum memorabilium lib. 4. ad finem: cuius haec penè verba sunt: Azo Vicecomes, qui deinde Mediolani Principatum obtinuit, magni aetate iuuenis, patris iussu cum copijs transiit Apeninum. In ea expeditione cum forte descendens equo requiescit, ingens vipera, nullo aduerente comite, in galeam Principis iuxta positam irrepit: quam eum mox capiti reponeret, famoso quidem & horrifico, sed profus innocuo lapsu, per genas Ducis interriti fluxit. Eam à uernine laedi pas-

Franci-
scus Pe-
trarcha

sus adolescens ille quimofus, ad omen geminae victoriae traxit: hincque factum taudem, ut ipse pro siguo bellico vipera vteretur. Et haec quidem Petrarca, magni nominis rareque eruditionis auctor: quam narratione, cum adolescens Bononiae studijs operam daret, se saepe audiuisset scribit. Idem penè Gabriel Simeon Italus retulit, eo Compendio, quod lingua patria edidit de Ducibus Mediolanensibus: cuius tamen verba huc conferre minimè attinet. Paulus autem Iouius, nostra patrumque memoria historiae scriptor insignis, cum Alciato conuenit, eo nempe libro, quo Mediolanensium Principum Vicecomitum vitam est complexus. Ait enim Orthonem (sacro in bello contra Turcas & Saracenos, Bulionio Godofredo duce) insigni pietate, & magnitudine animi virum, nihil terribum Volucis Saraceni ferocitate, qui medio in campo ad singulare certamen fortissimum quemque ex acie Christiana pronocabat, cum eo fuisse congressum, tandemque eum non minore fortitudine quam felicitate denicisse: deque confessi hostis galea opimum plenumque immortali gloria spoliū rerulisse, auritam scilicet viperam, inexplicatis spiritus mina cetera cono cassidis erectam, & puerum passis manibus deuorantem: quod vnum auspicate virtutis argumentum, non modò gentilitiae laudis gestamen fuit, sed & posteris id insigne audacter vsurpantibus, & imperia, & opes, & laetè gloriam portendit. Fuere qui existiment Volucem ex stirpe Alexandri Magni progenitum, tulisse pro insigni viperam, ex Olympiadis fabula, puerum parturientem, quòd ea à dracone se compressam fuisse, Iouis imagine, praedicaret. Sic Iouius. Ceterum id stemma nobile & antiquum video. Si quis enim veterum Aegyptiorum notas, quas Hieroglyphicon nomine appellabat, obseruauit ex Oro maxime Niliaco, facile disceret eos imagine serpentis, Imperatorem regemque designasse. Quid enim dominium orbis, quid prouinciae Principem, quid regem opimum & tutelarem suae custodem, quid heroem, quid nominis & famae amplitudinem figura serpentis exprimebant, nisi quòd spectato huius animalis admirabili genio, conditionem & dignitatem Principum eo schemate ingenioso eruditus hominum oculis proponi volebant?

Gabriel
Simeon.Paulus
Iouius.Quid per
serpentem
Aegyptij
designabant.

lebant; Inactatum enim fuit olim Græca libertate in potentiores, qui populi dispendio suas opes adaugerent, Anguem, nisi anguem deglazierit, draconem non fieri. Sed & proditum memoria est, serpentes olim adiunctos leonibus, qui Opis Deæ simulacris apponi erant soliti, quo significabant orbis Principatum. Anguis enim circularis orbem, Leo verò fortitudinem viresque representabat. Quod autem serpens ita sæpè depictus conspiceretur, qui sibi caudam mordicus ore retineret, pauci sunt qui explicuerint. Ea verò mihi per placet eruditiorum quorundam hominum coniectura, qui aiunt eò intellectum, & quasi ob oculos positum fuisse Regem eum, qui finem sibi actionum omnium & consiliorum prudenter & accuratè proponeret, cuique vltima, imò verò minima etiam curæ essent. Eo enim nomine Augustus, Antoninus Pius, Traianus, Hadrianus, Percinax, Severus Alexander ad cælum euecti sunt: contra malè cessit Heliogabalo, Caracalla, Commodo, Domitiano, & alijs permultis Reipubl. Romanæ pestibus, quod simul atq; ad summum illum principatum conscenderunt, abiecta cura publica, sibi tantum seruire, suasq; persequi cupiditates, quo iure, qua iniuria, voluerunt. Caterum Anguis imagine, Rex custos & tutelaris indicabatur: nam in bonorum Principum monumentis, populus suum in Regem studium (enim beneficentiam grato animo agnoscebat) non alio modo posteris commendabat, quàm serpente vigili, surrecto vertice, & elato pectore. quod Homericum illud declarat: *Ὁὐχὲν παρνοχίων ἔσθ' ἐν βελητόρον ἄρδρα*: Non decet virum consulerem, qualis princeps esse debet, tota nocte dormire. Apud Horatium eo quidem sensu, Serpens Epidaurius appellatur, vt apud Græcos *ὄφιτος ὄμμα*, ad vigilantiam designandam. Denique tam fuit insigne & celebre id Hieroglyphicum serpentis, vt non temerè Imperator clarissimus Epaminondas vsurparit extremo ad Mantineam confecto bello: cuius memores posterii columnam erexerunt, appenso clypeo, in quo sculpsit draco esset. Eius monumenti rationem asserit Pausanias, quia is Imperator laudatissimus ex Spartiatum genere, quod Thebis antiquissimum fuit, ortum duxisse putabatur, quorum id

gentilitium insigne esset, vt qui ab anguinis illis dentibus à Cadmo telluri mandatis essent oriundi. Nondum mihi tempero, quin alia quædam ad huius magnifici stemmatis arcanum illustrandum adijciam. In ostentis enim & prælagijs. Angue summa nominis dignitas & amplitudo portendebatur, non modo ijs, qui ad regij dominatus, aut etiam regni fastigiū expectabantur, sed & ijs, qui arte quadam vel ingenio celebritatē quādam sibi compararunt. Vt enim retulit r. De diuinatione M. Tullius: Cùm Roscius in cunabulis esset, educareturque in Selonio, qui est campus agri Lanuuii, noctu lumine apposito expectata nutrix animaduertit puerum dormientem circumplicatū serpentis amplexu, quo aspectu exterrita clamorem sustulit. Pater autem Roscij ad aruspices retulit: qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Atque hanc speciem Praxiteles eelauit argento, & Archias expressit versibus. Hæc Cicero. Spartianus auctor est, Seuero imperium præmonstratum: ei enim in stabulo dormienti serpens caput cinxit, & sine noxa, expergefactus atq; acclamantibus familiaribus, abiit. Fortune & Anguem portendisse imperium Aureliano, quāquam ille mediocrium fortunatum & parentum esset. Nam cùm eius pueri, peluim serpens cinxisset, neq; vnquam potuisset interfici, postremò mater eius anguem occidi noluit. Mulier hæc tēpli Solis sacerdos erat, diuinationum minimè ignara, quippè que familiarem hunc serpentem, tanquam genium agnosceret. Tiberius Cæsar serpentem draconem in delicijs habuit, eiq; sua manu cibum ministravit: quem cùm is corrosus à formicis obseruasset, monitus est cauendam esse sibi vim multitudinis: formicis enim populum significari. Maximini Iunioris, qui à parte regni particeps factus est, dormientis caput serpens circumdedit, futuræ dignitatis prælagium. Idem penè, quod de Alexandro Magno, refertur de Pomponia Africana Scipionis matre, & Actia matre Augusti Octauij, quæ in templo Apollinis somniauit se cum dracone congressam, indeque factum, vt macula picti draconis in corpore constanter hereret, quæ nunquam postea eximi potuit. De anguis augurio Cornelius Tacitus lib. 11. sic: Sedente Claudio Circēsisbus Iudis, eum

Quid per serpētem qui caudā mordicus tenent.

Anguis quid significabat.

Roscius

Severus Imper.

Aurelianus Imp.

Tiberius Cæsar.

Maximinus Iun.

Augusti mater.

pueri

pueri nobiles equis ludicrum Troiæ ini-
rent, interque eos Britannicus Imperatore
genitus & L. Domitius adoptione mox in
imperium & cognomentum Neronis ad-
scitus, fauor plebis acrior in Domitium
loco præfagij acceptus est: vulgaturque
affuisse infantæ etus dracones in modum
custodum, fabulosa & externis miraculis
assimulata. Nam ipse haudquaquam sui
detractor vnâ omnino anguem in cubi-
culo visam narrare solitus est. Virgilius
non temerè scripsit anguem exiisse è tu-
mulo Anchisæ. Veteres enim, vt est apud
Plutarchum in Cleomene, serpentes tribue-
runt heroibus: cuius rei rationem non vnâ
multi afferunt. Sic enim Poeta lib. 5. quo
loco Aeneas patri iusta facit.

*Saluo sancte parens, iterum saluete recepti
Nequicquam cineres, animaq; umbraque
paterna.*

*Non licuit fines Italos, fataliaq; arua,
Nec tecum Ausonium (quicumq; est) qua-
uere Tybrim.*

*Dixerat hæc, adytis quem lubricus anguis
ab imis*

*Septem inges gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placide tumuli, lapsusq; per aras;
Carulea cui terga nota, maculosus & auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus
arcus*

*Mille trahit varios aduerso sole colores.
Obstupuit visu Æneas: ille agmine longo
Tandem inter pateras, & leuia pocula serpsit,
Libanitisq; dapes, rursusq; imoxius imo
Successit tumulo, & depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat ho-
nores.*

*Incertus geniumq; loci, famulante parentis
Esse putet.*

Sed de his fatiis 3 plura de serpentibus
qui volet, adeat Pierium Valerian. lib. 14.
& 15. Nunc ad singula verba examinanda
accedamus,

III.

Exiliens] Prodiens, extra saliens, sa-
liendo prorumpens.

Infans.] Puer anniculus, *νήπιος, παι-
δάριον*; tubens, vt fetus ex vtero. Rubet
autem fetus recens natus, ob tenuitatem
cuticulae, quæ à frigore ambiante conden-
sata cutem genuinam tegit, extremitates &
ofcula venarum per cutem disseminata-
rum elaudens. Hinc communior est Ana-
tomitorum sententia, cuticulam in vtero
omnino abesse, quod falsum esse, ratione

& experientia constat, vt dilacide probat
Iulius Casseus Placentinus.

Sinuosi.] in sinu & gyros complicati: *Sinuosi*
epitheton serpenti conueniens, sinuosum
enim dicimus, à longo sinu, quicquid ob
laxitatem fluit. Virg. 11. Æneid.

Saucius. & *serpens sinuosa volumina versat.*

Et *μεταφορικῶς* apud nostrum Auto-
rem infra: *Sinuosi in faucibus antri.*

Faucibus.] Fauces sunt gulæ partes
interiores, tota nimirum illa capacitas, quæ
ore hiante percipitur. Quæ regio ob angus-
tiam *ισθμῶς*, dicitur, sunt enim ibi duo
foramina angusta fistularum, cibalis, nimi-
rum, & spiritalis. Plin. Summum gulæ, fau-
ces vocatur; postremum stomachus. Hinc
suffoco, præfoco, id est, spiritum præclu-
do, veluti obstrictis faucibus.

Genititijs.] vsurpatum à tuis geniti-
bus & maioribus familia: Nam pro ima-
ginibus posteriora tempora insignia geniti-
litia habuerunt, quæ arma, vel armaria
vulgo dicuntur: quæ ipsa quoq; primum,
vt simile veri est, virtutis fuere præmia ac
rerum præclare gestarum decora. Budæus,

Nobilia stemma.] Nobiliores erant, qui
sui generis imagines & stemmata seu sche-
mata proferre poterant, Budæus Annot. in
Pandeet. vsurpatur autem stemma plerun-
que pro corona; deductum verò est id no-
minis à *στέφανος*: vt illud Homericum: *στέφανος
ἔχων ἰν' ἁρσίν ἰκνησάμενος ἄπ' ὀφθα-
λμῶν.*

Alciar, refert 2. Parerg. c. 30. Lege 6. Mi-
scellan' P. Nannij.

Pellæum regem.] *περιφρασικῶς* pro A-
lexandro: vt apud Iuuenal. Sat. 10.

*Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis:
Æstuat infelix angusto limite mundi.*

Aufonius Paulino:

*Ocyus illa iugi fatalis soluere lora
Pellæum potuisse deum reor.*

Sic autem dictus est à Pella vrbe Ma-
cedonix abiectissima, quam tamen (vt re-
fert Pomponius Mela lib. 2.) alumni, Phi-
lippus & Alexander illustrem reddiderunt,
Hanc etiam plinius lib. 35. Alexandri pa-
triam appellat.

Nomismata.] Symbola in numis, signis
militaribus, in templis, locisque publicis ex-
pressa, sic enim hic nomisma *συνεκδοχι-
κῶς* accipi videtur. Pignoriarius arbitrat ur
hic nomisma esse numos veteres. Neq; abs-
q; rationes *Vidimus*, enim, quod sequitur

Faucibus

Stemma

Pellæum
Alexan-
der.Pella
vrbs.

in carmine, omnem tollit dubitationem. Alciatus autem vetustatis fuit obseruantiffimus.

Vidimus.] legimus apud Historicos. Rectè ait *vidimus*, verbum enim est *ἵδμεν τινός*. Sic καὶ ἰσοπλατῆνας, visendi vel sciendi gratia ire, vt apud Plutarch. de Historia dicitur.

Concelebrasse.] illustrasse, cum celebritate aliqua iactasse, publicasse.

Suum genus.] suam originem. Iustinus lib. 12. ait, Alexandrum vitum supra humanam potentiam magnitudine animi fuisse præditum. De genere Alexandri Plutarch. Iustinus. Q. Curtius, alij multa.

Ammonis fatum.] In Aphrica Cyrenæica prouincia est, in Cyrenæica Iouis Ammonis templum, teste Pomp. Mela, & alijs Geographis. Dicitur fuit Ammō. id est, arenosus, ἀμμῶς enim Græcis arena est, quod cum Liber pater, tota iam debellata Asia per arentes Libyæ campos exercitum duceret, & in sicca arena maxima omnes siti premerentur, Iouem patrem fertur implorasse; statim ei apparuit aries, cuius ductu amœnissimum reperit in medijs arenis fontem. Hac de causa Bacchus templo Ioui constituto, vbi fons eruperat, simulacrū arietina figura in temp'o collocavit, & Ammonē vocauit. Celebratur & aliud templum Iouis Ammonij, in sine & sumptuosum, ab Iarba Getulorum Rege erectum, ceterum aris nobile, de quo Virgilius: *Templa Iouis ceterum latis immania regnis Centum aras posuit, vigilemq; sacrauerat ignem.*

Excubias Diuum aternas.

Quo & Marcialis alludit eo versu:

Dissimuletq; Deum cornibus ara frequens.
Sed hoc ab illo diuersum rectè putat Politianus: hoc siquidem sumptuosum, illud verò pauperimum testatur Lucanus his versibus:

Ventum erat ad templum, Libycis quod genibus unum

Inculci Garamantes hēnt; stat corniger illic Iupiter, vt memorant, sed non aut fulmina vibrans,

Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon.

Nec illic Libyca posuerunt ditia gentes Tempia, nec Eois splendent donaria gemis, Quamuis Æthiopiū populis, Arabūq; beatis Genibus, atq; Indus vnus sit Iuppiter Ammon,

Pauper adhuc Deus est, nullis violata per auum

Diuitij delubra tenens, morumq; priorum Numen Romano templū defendit ab auro.
De his vide Liliū Gyraldum Syntagma 2. hist. Deor. Politian. ca. 52. Miscel. Lege & Hygin. lib. 2. de signorum cœlest. historijs, Suidam, Pausan. lib. 4. Q. Curtium, & alios. Alexander Magnus itaq; ingenti ductus cupiditate ad eundem Iouem, quem generis sui autorem, haud contentus mortali fastigio, aut credebat esse, aut credi volebat, nullis difficultatibus abstereri potuit, quo minus per siccas regiones, & tenacissimum sabulum ductaret exercitum ad Ammonem. Quod cum peruenisset, maximus natu è sacerdotibus filium appellauit, hoc nomen illi parentem Iouem reddere affirmans. Plutarchus tamen aliter hoc refert, cū Ammonis sacerdos Alexandrum salutaturus linguæ vitio præpeditus, pro τρασίου, filiule, dixisset, τρῶς δῖος, id est, Iouis filii, illum vocis errorem Alexandrum libenter, perinde ac omē audiuisse, hinc cœlestis originis gratia captata, cui initia dedisset error. Apud Lucianum in Mortuorum dialogis, Alexander fatetur vtile sibi fuisse ad res gerendas, quod Iouis Ammonis filius crederetur. Formidandum enim erat, ne aliquis sibi repugnaret. Id cur factum sit, lege Augustini De ciuit. lib. 3. cap. 4. Præclara extat Alexandri laudatio apud Apuleium Primo Floridorum.

Matrem anguis in imagine lusam.] Olympias Alexandri mater vel putauit, vel simulauit se à Ioue compressā sub specie draconis, ad tegendam congressus ignominiam. Id enim factum fuisse à Magno quodam impostore credibilis est, vt auctores non pœnitendi prodiderunt. Quæ res amorem, charitatemq; Philippi extinxisse fertur; adeo vt illius per sepe concubitus euitauerit, siue aliquas magicas artes, & veneficia reformidans, siue illius consuetudinē & contubernium cuiquam Deo ex quadam religione permitrens. Post illa cum Philippus hac de causa Cheronem Megalopolitanum Delphos misisset, à Deo responsum est, vt Ammoni rem diuinam faceret, & hunc in primis Deum veneraretur, amissurumq; ex oculis alterum, quo die in draconis forma concubentem Deum cum Olympiade per ostij rimulam

Olympias Alexandri mater.

Templū Ammonis.

Ammon.

Iam aspexisset. Olympias quoque (sicut ait Eratosthenes) proficicenti in expeditionem Alexandro, secretò geniturae detexit arcana, proinde dignos genitore animos fouere iussit. Hæc carptim ex Plutarcho. Et profectò maius humana mortalitate opus vtero tulit, quam cum Æacidarum gens ab vltima sæculorum memoria, & regnum patris, fratris, mariti, & deinceps maiorù omnium illustrauerit: nullius tamen nomine quam filij clarior fuit. Huc refero congressum Martis (id est, personati cuiusdam militis, qui Martem mentiebatur) cum Rhea Romuli & Remi matre. Quid enim huc commemorem aniles nostrorum fabulas de Melusina, deque Roberto cui cognomè Diabolo fecerunt? Non plura: nam de Succubis & Incubis aliàs.

Rhea.
Melusina.
na.
Robertus
Diabolo
egit.

Diuini & sobolem seminis.] Deorum non est propria generatio, sed hominum, vt rectè disputat in Numa Plutarch. vbi agit de congressu Pompilij, cum Nympha Ægeria. Nam sexus in homine, arguementum est impotentia & imbecillitatis, quæ in Deo esse non potest, vt Lactantius docet. Sed multi illustres nothi, cum incerto patre nati essent retulerunt suum genus ad Deos; non malè profectò, sed cautè tamè, vt Epaphus Ouidianus Phœbum pro patre agnouit, quia Sol & homogenierant hominem.

Epaphus.

Tradunt sic quosdam enitior angues.] Plin. lib. 8. cap. 23. & Solinus cap. 30. Polyhist. Amphibzenas ore parere tradunt: his enim caput est geminum, hoc est, & ad caput & ad caudam. Neminem quidem studiosorum latere velim, id commodè atq; perspicuè relatum scriptis à Pierio 15. Hieroglyph. ne quis me ingrati animi arguat, qui ex tam fecundo ac copioso rerum selectissimarum pomercio tot flores & fructus collegerim. Addo ex opinione Anaxagoræ Philosophi, cecinisse Ouidiù, mustelam ore parere. Sic enim inquit in 9. Metam.

Mustela.

Quæ quia mendacem patientè iuuerat ore, Ore parit, nostrasq; domos, vt ante, frequentat.

Hanc opinionem refutat Aristoteles lib. de anim. gen. 3. Plin. quoq; lib. 10. Lacertam ore parere dicit, quod vulgò creditur, Aristoteles negat. Idem alij de sepijs affirmant.

Lacerta.
Sepia.

Enitior.] pro eniti, παραγωγή. Enixæ dicuntur feminae, nitendi, hoc est, conadi & dolèdi labore perfunctæ. Nexum enim dicimus actum & colligatum. Nonius, Id quidem ad zonæ solutionem referri nõ inconcinne potest, qua partus describitur à poetis. nempe quòd omni nexu oportet mulier soluat, vt commodiùs enitatur & pariat. Callimachus Hymno Ionem: *ἰπέρι τῆμος δὲ ἴριος ὅτ' ἰλύσατο μήτην*, id est, quãdo peperit: quod & admonet Græcus scholiastes. Alcimedea apud Apollonium Argonaut. 1. filij discessum lugens:

ἴριος μὲν ὄπι μίτην πρῶτον ἔλυσα καὶ ἄσατον.
Quo loco scholiastes ab alæto non discedit, quin & adijcit. *ὄθεν καὶ λυσιζώνης ἀρτίμιδος ἱερὸν ἐν Ἀθήναις.* Quorum locorum (ait Minos) mihi copiam pro sua humanitate fecit Ioannes Frater, Baiocensium gymnasiij hac in Parisiorum Academia primarius, vir vtriusque linguæ peritissimus, & cum quo, literarum nomine, mihi nuper amicitia intercessit.

An quia sic] Hæc non est interrogatio, sed modus loquendi Philosophorum in problematis dissoluendis, qui etiamsi certissima proferant, veluti dubitando definiunt per particulam *An*.

Pallas de capite orta Iouis.] Imitatus videtur illud Propert. è lib. 3.

Semina curarum de capite orta tuo.
Martianus Capella initio lib. 6. de Pallade: *Hinc de patre ferunt sine matris federe natam,*

Prouida consilia quod nescit curia matrum.
Postremum hunc versum (quod obiter moneam) vna voce corruptum, Beoaldus emendat, annot. in Caligulam Suetonij, ac pro *consilia*, legi mauult, *consilia*. Nos cum Iureto ita melius & commodiùs, nisi fallit coniectura:

Prouida consilij quod non sit curia matrum.
Quod autem Pallas ex Iouis cerebro nata sit, testis est Pindarus Olymp. Ode 7. cuius rei rationem (sed aliam atq; aliam) reddunt Fulgentius Mythologic. 2. Phornutus De natura deorum, Gyraldus Syntagm. 11. Onid. Fastr. 3. epimythia è sua tradit, sed longè alijs diuersa. Ex his .n. alij speculationem physicam, alij ethicen, alij alia considerant. Themistius oratione 10. *σὺ δὲ προσκαλέεις τὸς φιλοσόφους* (allo-

† πῆν

Pallai
cur è Iouis
cero nato

quiritur

quiritur Imperatorem Valentem) καὶ ἀ-
 ποικύσει. καὶ ὁ πόσον σὺ χρόνον τῷ ἔτους
 ἐπὶ χάρας μῆνας. ἀνάγκης χειμερίστis
 τῶν λόγων. τοῖς στρατηγῶσι δὲ οἱ φιλοσο-
 φούντες ἐν ἰσῆ προεδρεία, γνώμης ἄμα
 καὶ δυνάμεως σε θεραπεύουσιν. διὰ γὰρ
 τῆτο καὶ τὴν Ἀθηνῶν ἐκλήθης κεφαλῆς γεννά-
 σιν οἱ ποιηταὶ τῷ Διὶ ἰνδεικνύμενοι κα-
 λῶς ὅτι προσήκει τῶν βασιλείων μῆτε
 λόγον ἀπρακτον, μῆτε πρῶξιν ἄλογον
 ἐκροῖσθαι, ἀλλὰ καὶ τὸν νοῦν ἰνεργὸν εἶναι,
 καὶ γίμεν νῦ τὸ δρασῆριον. Existimo
 autem cum Pindari scholiaste ad 7. Olym-
 pior. figmentum id esse referendum eod, vt
 dicamus omnes artes & disciplinas, ἐ Ἰο-
 uis cerebro, id est, summi & præpotentis
 Dei mente & sapientia prodijisse. Perspi-
 cuum enim nobis esse debet, vt alia omnia
 bona, sic ipsas quoq; ingenuas artes à Deo
 nobis esse communicatas. Et quanquam
 Dei beneficio nobis hæc Minerva generetur,
 ductore tamen & magistro primum
 opus est. Adeo nemo est, qui doctrinā lau-
 datissimā ἐξ ἰν comparare sibi querat, qui
 noui bonus præceptoribus sese tradiderit
 instituendum. De Natali Palladis extat
 festiuus Luciani dialogus, quem compen-
 dio huc ascribit, eiq; suam subiungit my-
 thologiam Sæctius. Laborabat Iupiter do-
 lore capitis, iussit Vulcanum cum securi
 acutissima venire, qui caput diffunderet.
 Vulcano totis viribus in caput Iouis im-
 pellente securim, virgo Pallas profilit
 armata, iam nubilis, cæstua, pulcra, clypeū
 saltando concutiens, cum armatis tripli-
 dianis, hastā vibrans. Addit præterea Pin-
 datus in Olympicis, ad aperto Iouis capi-
 te, adeo vehementer Mineruā infremuisse,
 vt totū clamore perterrefaceret Olym-
 pum. Sed non abs re fuerit, quoniam, sepe
 in hoc opere se nobis offert Minerva,
 semel dixisse, quid hæc fabula significet;
 nulla enim tā vilis fabula est, ex qua Pla-
 to non eliciat, aut Astrologiæ mysteria, aut
 ad vitæ commoda præcepta salubria. Mi-
 nerua igitur siue Pallas est attium omniū
 & bellorū Dea. Artes & ingenue discipli-
 næ ex cerebro, ceu capite Iouis, id est, Dei
 Opt. Max. sapientia proueniunt. Scimus
 etenim ex sacris literis, omne datum opti-
 mum, & omne donum à patre luminum
 descēdere. Securi caput Iouis aperit Vul-
 canus vt Minerva nascatur. Quid hoc ali-
 ud est, quam impetu quodam, quadiq;

lucta, & summo ingenij conatu arte tan-
 dem conquiri? Nemo enim vnquam ar-
 tium apicem consequetur, si prius non se
 vigilijs, sudoribus, & algoribus exercue-
 rit. Sed quid est, quod addit Pindarus,
 cælum & terrā clamore Mineruæ contrem-
 uisse? Nihil aliud esse reor, quam cælum,
 terram, stellas, mare, cuncta denique
 sapientia gubernari; ad cuius imperium
 atq; nutum omnia moueantur atq; contrem-
 uiscant. Quid tandem innuit clamor
 ille Mineruæ recens nata? Iustitiam, æ-
 quitatem, iura, leges, societatem humani
 generis, virtutum præmia, scelerum puni-
 tionem. Rectè itaq; tam pium clamorem
 cælum & terra timent & reuerentur. Sed
 quoniam & bellorum præses est, videamus
 rursus, an hæc, quæ diximus, in disciplinis
 bellicis etiam possint adaptari. Est Dea
 belli Pallas, hastamq; vibrans effingitur;
 propterea quod illi se in bellicis operibus
 gerunt strenuè, qui bonas disciplinas cum
 arte bellica coniunxerunt, vixq; tepetias
 in re militari ducem insignem, qui non
 idem summa prudentia sit præditus. Na-
 scitur ex cerebro Iouis: quia belli guber-
 natio ex Deo est, vt inquit Homerus. Sed
 militaris ars vsu & exercitatione constat:
 qua propter Vulcanus securi caput findit
 Iouis, vnde nascitur Bellona, id est, ani-
 mus fortis, agilis, strenuus, & consilij at-
 que stratagematis valens. Et quia Iouis est
 filia, propter Iustitiam defendendam cla-
 mar: bella enim ideo suscipiuntur, vt in pa-
 ce viuatur. Sed enim cum bellum adeo
 res sit horrenda, vt vix eius calamitas ex-
 plicari possit, quid mirum, si cælum & ter-
 ra cœcutiantur ad horrendas Bellonæ vo-
 ces? Nascitur Pallas armata, & iam adul-
 ta, non infans: quia consilium ducis: ante-
 quam in lucem prodeat, iam oportet esse
 perfectum & integrum, omnibusq; nume-
 ris absolutum. Sed quoniam iam de Palla-
 de cœperimus, cantemus iterum eiusdem
 natiuitatem, vt ab Hesiodo accepimus, sed
 tamen breuius. Inquit enim ille:
 Ζεὺς δὲ θεῶν βασιλεὺς πρῶτην ἄλοχον
 θίτο μήτιν,
 Vxorem primam Metim sibi Iupiter addit.
 (id est, prudentiam) Quæ cum iam esset
 Mineruā paritura, Iupiter à Cælo & Tel-
 lure monitus, filios, quos ex Metide susci-
 peret, consilio & fortitudine patrem super-
 raturos, Mineruam ex ventre Meridis per
 iocum

Clamor
Minerua.

Pallas
Dea belli.

Bellona
quid.

Pallas
est arma-
ta nasca-
tur.

Palladis
ortus.

ἱπιμύ-
θιος.

Artes ex
cerebro
Iouis.

iocum & dolum erutam suamet alio condidit. Subdit inferius: Ipse autem Iupiter ex capite proprio Mineruā progenit, ceteris oculis praeditam, ac rem, indomitam, venerandā, cui bella, & belli clamor erant cordi. Hæc ille. Ioannes Diaconus Metidem gravidam à Ioue deuoratam scribit his verbis: *ἡ ἔγκυον ἰαυτὴν ποισάειος, κατατίνει αὐτὴν, ἵνα μὴ ἄλλος τις τῶν θεῶν ἀποκυνθῆν παρ' αὐτῆς ἀν' αἰδῆς καὶ ἀτάσθαλος.* id est: *quam cum gravidam fecisset, deglutiuit, ne quis alius Deorum nasceretur ex ea impudens ac fatuus.* Ex eo cibo mox ipse Iupiter pro vxore grauidus factus, Palladem armatam è capite peperit. Quod quidem monstrum tantopere contra naturæ consuetudinem fictū, nescio quo pacto primū æquis animis perferri potuit, neq; fuerit cum maximo omnium risu explosum: quippe cū mendacia, & res supra credulitatem factæ, soleant etiam veris & probabilius plerumque fidem detrahere. Putant autē Mineruam dictam à minuendo, quod neruos minuat. Pallas autem dicitur (vt ait Eustathius in princ. Iliad.) *ἀπὸ τῆς πάλλην τὸ δῆρον.* id est, à vibrando hastam: vnde à Poetis Latinis dicitur Armifona. Vel quod Pallantem gigantē in gigantomachia occiderit. Vel quod *ἐκ τῆς τῆς διδῆς συνέπαλση κεφαλῆς.* id est, ex Iouis capite exilierit. Hinc, vt ait Hesiodi interpretes in Aspide, dicta est, Tritonia, vel Tritogenia; quoniam lingua Aeolica *τρίτω*, caput significat; quamquam de hoc nomine magna est opinionum diuersitas. Nam Homeris scholiastes lib. Iliad. θ. *ἀπὸ τῆς τρέης,* dictam asserit, quod hostes pauescere faciat. Pomponius Mela lib. 1. Super hunc, inquit, ingens palus omnem Tritona recipit; ipsa Tritonis: vnde & Mineruæ cognomen inditum est, vt incolæ arbitrantur, ibi genitæ, faciuntq; fabulæ ei aliquam fidem, quod quem natalem eius putant, ludicris virginū inter se decertantium celebrant. Hoc secutus Lucanus, sic canit de Tritonide palude:

*Hanc & Pallas amat, patrio qua vertice nata,
Terrarū primā Libyā (nā proxima caelo est,
Vt probat ipse calor) terigit; stagniq; quietæ
Vuluis videt aqua, posuitq; in margine
plantas;
Et se delecta Tritonida dixit ab vnda.*

Absurdū
figmentū.

Minerua
vnde di-
ctā.

Palas: vnde
de dicta.

Pallas
eur Trito-
nia dicta-
tur.

Porro asserit Eustathius τ. Iliad. vbi canis Homerus, descendisse de caelo Mineruā, vt sedaret iram Achillis, *ἔραδόν* ab antiquis pro capite vsurpari, quia caput, ex Platonis sententiā, ad instar mūdi sic sphericum, vbi Pallas commoratur; quæ nihil aliud est, Democrito interprete, quam ipsa prudentia, quæ (vt autor allegoriarum in Hesiodum tradit) iure dicitur è Iouis vertice prognata, quoniā ab experientia sese promit prudentia, experientia verò ex sensibus, qui in capitis ambitu cernuntur. Aluifit ad fabulam Terentius in sene seipsū exercuciente, cum inquit: *Non si ex capite sis meo natus item, vt aiunt, Mineruam esse ex Ioue.* Et Ouid. in Fastis:

*Aut ga de capitis fertur sine matre paterni
Vertice cum clypeo profuuisse suo.*

Nolim fieri molestus lectori, si Isacij Tzetis rationes adiunxero: cuius hæc sermō sententia ex ips commentarijs, quos studiosè cōscripsit in Calsandriā Lycophronis: Tritonia Pallas dicta, quid in Tritonia Libyæ flauio nata creditur, vel quod tertio mensis die orta. Ideo enim tertia dies Mineruæ sacra est Athenis: vel quod *ἡ τρίτω* enim Boeotū lingua, caput nominatur: vel quod eadem cum L una sit, quæ apparet tertio quoq; à coitu die: vel quod eadem sit cum anima, quæ tres partes habet, *ἐπιθυμία, θυμὸς, λογισμὸς:* vel quod eadem cum prudentia sit: aut ex Democriti sententia, quod hæc tria præstentur ab anima, bene cōsulere, rectè iudicare iuste agere, id est, *εὐβουλεύειν, εὐκρίνειν, καὶ ἐπράττειν.*

PRÆTER ea, quæ supra in Mythologia Mineruæ tacta sunt, vnum hoc loco noto, cæcam nimirum temeritatem eorū, qui cōditionis suæ obliti sese mortalitate exuere conati sunt diuinitatem sibi arrogantes. Nec enim solus Alexan. hæc insanituit insaniam, sed plures habuit assecles, ex quibus aliquos produxisse nō erit abs re. Antigonus Rex in omnibus Liberum patrem imitatus, hederam capiti circumposuit loco diadematis Macedonici, thyrū pro scepro gerens, si Herodiano debetur fides: quanquam non desunt, qui hanc in ipso diuinitatis affectionem excusent. C. Caligula nō modò nouus Dionysius sive Bacchus appellari voluit, sed & vniuersum Dionysiacum habitū indutus inces-

IV.

Antigonus.

C. Caligula.

fit, in eo etiam apparatu iudicia exercens, ut refert lib. 4. Athenæus; & latius Dio Nicæus lib. 59. in hæc verba: Caligula interdum effeminatior spectabatur, thyrsum & cratera tenens; interdum virili specie clauam & leonis pellem gestabat, subinde facie leuigata & etasa, mox barbata visebatur; nunc tridentem tenens, nunc fulmen vibrans; nonnunquam Palladi bellicæ virginis assimilatus. Bacchi quoque habitum cultumque; vsurpasse legimus M. Antonium, quem Velleius Patereulus redimitum hederis, coronaque velatum aurea, & thyrsum tenentem, cothurnisque; succinctum scribit, curru velut Liberum patrem vectum fuisse Alexandriæ. Sic Commodus Imp. Herculem se, & Iouis filium nominari voluit, deposito Imperatorio cultu omni, leonis exuvio indultus, & clauam manu gestans, Herodiano huius rei oculato teste. Non secus atque Sextus Pompeius Neptuni filius oli haberi ambiuerat, Phœnicium paludamentum, quo Imperatores utebantur, in cæruleum conuertens. Prodeat tadem inter laruatos hosce Deos fructum illud hominis Heliogabalus, qui, si Lampridio credimus, ceruos quatuor ad currum iunxit, quo vehebatur, totidemque canes, Dianam se appellans; & quatuor tigres, Bacchum se dicitans; & quatuor leones, se Cybelen vocans: non tam venationis & ferarum studio, quam religionis & Deorum hominumque contemptu. Sed quid mirum, si in præfatos illos tenebriones, quibus verè fidei lux non affulsit, tantum potuit eorum antesignanus, qui dixit: *Similis ero Altissimo*; Si enim impia licentia, ligna & lapides sibi Deos statuere potuerunt, cur non & seipfos, aut suos, seruilium sculprilium mancipia. Nos, nos manet hæc dignitas, quibus sacro Baptismatis fonte regeneratis verè fidei fulgor illuxit; nos æternus ille Pater in filios & regni hæredes adoptione sibi elegit. Gloriarum ita-

que fas sit homini Catholico, & erigere cristas hoc unico titulo (audite cæli & elementa, & vos beati spiritus) quia filius Dei. Quis cum bulla hunc mihi, aut fumo, vel umbra amplius conferat? Prodeat, quicquid sub Luna, & supra, non æquabit excellentiam hominis & magnitudinem, Quid enim propius diuinitati, quid magis diuinum quam filius Dei? O ne degeneret; o monita audiat. Audite & me, o degeneres: vos appello, qui nominis & dignitatis vestræ oblitus, contempto hoc magno patrocínio, quo magnus naturæ Autor ac genitor vos amplectitur, nutrit, & sustentat liberali manu, tutorem alium & patronum ab inferis quaeritis; apud quos ita fordet ac vilescit paterna hæc benignitas, ut in media copia rerum, velut Tantalus aliquis, esuriam atque sitim conquesti, magicis artibus affluentiam talium mercari vobis impiè, & licitari pro his cum Scyjijs mercatoribus frustra conemini, execrabili sanè conuentione & pactis. Cælum suspicito nequam genus, ibi panarium nostrum, & cellæ, & horrea, quæ pascunt: eò dirigendus oculus, inde præsidium expectandum, & quicquid necessarium vitæ huic, & post hæc. Nec verò cogitatio hæc vnquam irrepit menti, nos idcirco infeliciores esse, quia in catastam hanc laborum & sudorum tanquam mæcipia damnati, seruire dorsum percutietis fortunæ flagris submittere cogimur, & pati iniurias. Certamen est ad gloriam, lucta ad triumphum, ut victor æternum regnet, consors & coheres augustissime possessionis, quam præpotens DEVS, noster omnium communis pater, præparauit diligentibus se. Scimus filiorum partes esse & officium, obsequi & audire iussa parentum: horum, prospicere & largiri necessaria. O diuites nos, o securos à paterna hac cura & cælesti prouidentia?

